



150.  
D. O. M. A. 1608, 1

De *M.*

1-  
28

EMTIONE VEN-  
DITIONE

DISPUTATIO,

*Quam Praeside*

Magnifico, Clarissimo & Con-  
sultissimo Viro,

DN. THEODORO ADA-  
MIO, Academiae Iuliae pro tempore ViceRe-  
ctore, Pandectarum ordinario Professore & supremi  
curialis iudicij quod est V Volfenbutti  
Assessore,

*Publicè discutiendam proponit*

CHILIANVS STISSERVS

Iunior Hallensis - Saxo.

*Ad diem 22 Martij in auditorio  
maiori.*



HELMAESTADII,  
Ex Typographico IACOBI LVCII.  
Anno M. DC. VIII.

17.





REVERENDISSIMIS,  
Antiqua generis, virtutumq; nobilitate  
Illustribus,

DN. LVDOVICO A LO-  
CHOVV, Archiepiscopæ Magdebur-  
gensis per Germaniam primæ  
Decano,

☞  
DN. VVICHARDO A BRE-  
DOVV, Seniori, Reliquisq; Dominis Ca-  
nonicis, Dominis suis submissè  
colendis,  
S.



Emper equidem verissimum illud  
sum arbitratus, quod Cicero alicubi præclare  
à Platone dictum prædicat: Nos non solum  
nobis natos esse, sed partem ortus nostri pa-  
triam sibi vindicare, partem parentes, par-  
tem amicos. Cum enim principes sint pa-  
tria & parentes, quibus præ reliquis omnem amorem de-  
beamus & obsequia, in nullo etiam magis elucere poterit  
gratitudo nostra, quàm si summa ope nitamur, vt, si non  
magnam, tamen aliquam adiumenti partem vtriusq; affera-  
mus. Quod verò adiumentum maius esse possit, quàm si bo-  
nis consilijs, legibusq; æquis Reipub. felicitas præstetur, cum  
ca tan-



ea tantisper vigere existimetur, dum recta cōsilia, legesq; iustas vigere videmus? Vtrumq; aut alterum certè à Iurisprudētia proficisci neminem latere potest: quæ vna potissimum causa fuit, vt, cum à primis vsque annis bonis me disciplinis tradidissem, tandem ad hanc pleno gradu contenderem. Eò accedebat, quod inuenirem & Auum & Abauum meum rectà mihi in hoc itinere præcessisse & magnā cum ad imitandū tum ad conseruandum gloriam reliquisse: Patrem verò meum adhuc mihi virtutis omnis & eruditionis exemplum præbere. Ita, maiorum vita inspecta, cum Patris quoq; consilio & autoritate illā Iurisprudētiā certum mihi, ad quem tenderem, finem proponerem, iam à me quoq; rationem studiorum meorum poscebat pater: In quo vt illi obsequium præstarem, & debui & volui, quicquid erat, libentissimè suscipere. Vtiq; hanc paruulā disceptatiunculam &, vt ætas permisit, exiguam, conscripsi, & in publicum edidi. Cum verò tenellus hic foetus absq; Patrono prodire vereretur, Vobis, Reuerendissimi, genere, virtutibusq; Illustres, Viri, hunc potissimum consecrandum & me & mea omnia commendanda constanter duxi: Non vt tantus sit, quantus vt offerretur, æquum esset, Sed vt vos, Viri Reuerendissimi, cum meum mihi propositum finem cognitum haberetis tum grati animi testimonium acciperetis. Quod vt, pro vestra in me affectione, non ex operis tenuitate, sed studiosa potius subiectione, æstimare & boni consulerē velitis, etiam atq; etiam precor. Deus Opt. Max. Vos Patriæ Duces, ad Ecclesiæ & Reip. emolumentum diu incolumes conseruet. Dabantur ex Museo Idib. Martijs. Anno salutis 1608.

Chilianus Stifferus Iunior,  
Respond.

A 2

T H E-







## THESIS I.



Contractus plerisque ex iure gentium originem ducere, itemque in re, vel Verbis, vel Literis, vel denique Consensu non dubij iuris est. Non quidem quod consensum excludant quidam eorum, cum sine eo nullus contractus esse possit. Sed quod præter hunc reliqui aliud quid requirant, hi autem ut solo consensu contenti, ita quoque eo perfici credantur.

2. Inter reliquos principem locum tenet **EMPTIO VENDITIO**: quam hac disputatione considerabimus: & definimus ipsam, Contractum Iurigenium, nominatum, bonæ fidei, in quo per solum consensum res pro precio certo ita commutantur, ut Venditor ad tradendam Emptori rem, Emptor ad dandum venditori precium obligatus sit.

3. Nudum & solum consensum dico, quod eo perficiatur Emptio Venditio: Ex eo tamen nec pactum nudum, siue nuda conventio est *a*: quamquam inde manifesta inter permutationem, quæ ex re tradita initium obligationis habet, differentia gignitur *b*: Unde nec hanc ab Articulo do ut des differre satis aperte Paulus statuit *c*.

*a* Generale enim illud statuo, quod in pactis & nudis conventionibus præter purum & nudum consensum nihil sit l. 1. ff. de pact. l. 27. C. locati l. 15. C. fam. hercis. Duar. ad l. 7. §. 4. de pact. Borch. c. 2. de quarta pact. divis. At in omnibus omnino contractibus negotium aliquod geri præter conventionem indicant l. 7. §. 2. de pact. l. 1. de estim. l. 15. de presc. verb. l. 18. de donat. l. 14. de precario. Et igitur Emptio non erit absque negotio. *b* l. 1. h. t. l. 1. de rer. permut. l. 5 §. 1. de presc. verb. Unde e hac iuris ratione, si lex vel statutum aliquod, de permutatione loquatur, id in emptione locum non habere volunt Bald. in l. 1. C. de rer. permut. Tiraq. de retr. Lignar. §. 1. glos. 14. n. 30. quamquam prohibita alienatione etiam permutatio censetur prohibita l. ult. C. de reb. ali. non alienand. l. 19. de lib. caus. *c* d. l. 5. §. 1. de presc. verb. l. 3. 4. C. de rer. perm. Et ita post Decium aliosque recte putat Pinell. ad Rubr. l. 2. C. de resc. vend. p. 2. c. 1. n. 10. Padilla ad d. l. 5. n. 9.   
Vi illo



*Ve illorum quoq; opinio vera sit, qui permutationem contractibus innominatis annumerant l. 1. §. Item emtio, de rer. perm. l. 7. §. sed etsi, de pact.*

4. Quemadmodum etiam in Emtione aliud est merx aliud precium, in permutatione hæc discerni non possunt: Precium semper venditoris fit, merx non semper Emtoris: In permutatione vtrinq; dominium transfertur, & consequenter vel Actio inde præscriptis verbis in id, quod interest, vel Condictio ob causam, vt id, quod dedimus repetamus, competit.

*Qua ita à Paulo in l. 1. de rer. perm. explicantur. adde d. l. 1. de cont. emt. d. l. 5. de pres. verb. & alias.*

5. Consensus itaq; primum ad substantiam huius contractus ita requiritur, vt ob dissensum & errorem statim emtio vitietur: Intellege, si in corpore erretur *a* aut materia ipsa, secus si in qualitate tantum *b*: quanquam in stipulatione aliud constitutum, quæ non viciatur, licet error in ipsa materia interueniat *c*.

*a L. in venditionibus 9. h. t. l. 4. de leg. 1. b l. 14. l. 41. §. 1. h. t. Cuiac. 2. obs. 4. Borch. de V. O. c. 5. n. 77. qua conciliatio & nonnullis ex antiquioribus placuit. c Rationem diuersitatis quarunt Interpretes in l. 22. de V. O. vbi Zas. Duar. Cuiac. & Donell. à quibus licet dissentiat Gædd. c. 3. de stipul. n. 29. non tamen meliorem affert.*

6. Nec Error solum Contractui est contrarius, sed dolus quoq;, hac tamen distinctione, vt, si causam ille det contractui Emtionis venditionis, cum, sicuti quemcunq; contractum bonæ fidei, reddat statim ipso iure nullum, sin incidat in contractum, ope actionis vel exceptionis vindicetur.

*Hanc thesin post paucos antiquos latè impugnat Ioan. Robert. 3. animad. 6. 1. 2. 3. 4. 5. Coraf. 2. Miscel. 8. n. 4. Cui tamen vt ratio iuris resistit, & probat l. 7. dolo malo l. 16. §. 1. de min. l. 3. §. ult. pro socio. Ita Bart. Bald. Iason ad l. transactione n. 5. C. de transact. Zas. ad l. si quis cum aliter, de V. O. Hartman. Pist. 1. uest. 23. Contrarium statuunt & sequuntur recentiores Donell. Cuiac. ad l. si quis cum aliter 36. de verb. oblig.*

7. Quod si iam in accessionibus dissensus oriatur, puto contractum fieri debere interpretationem, qui apertius legem dicere contractui potuit.

*L. 39. de pact. l. 21. l. 33. ff. h. t. l. 172. de R. I. vt frustra hic reclamet*

*A 3*

*Cuiac.*



*Cuiac. lib. 1. obs. 10. & 9. obs. 37. Nam quid obstet quo minus Emtor aliquando legem adicere possit? l. 7. §. 2. h. t. l. 34. cod.*

8. Quibus omnibus & hoc consequens est eum, qui consentire nequeat, neq; huius contractus habere communionem: Infantibus & Furiosis natura ipsa consentiendi facultatem ademit: Lex pupillis & minoribus viginti quinque annis, nisi tutore & curatore autoribus: Ob malam administrationem prohibentur prodigi: Inter Patrem & Filium, ut nulla obligatio nisi in castrensibus pecunijs & quasi ita nec Emtio Venditio esse potest.

*Per iura notissima.*

9. Alterum, quod contractus huius substantiam ingreditur, est pretium, quod non solum interueniat necesse est, sed etiam, ut certum sit, & in numerata pecunia consistat *a*. Etiam tunc certum intelligitur, quando in arbitrium certæ personæ confertur, vel tertij alicuius boni viri: Quicquid ille definiuerit, ei stare contrahentes oportet: Eo non definiente emtionem nullam esse expeditum est *b*.

*a l. 9. C. h. t. l. 1. in fin. h. t. Atq; ita precium huic contractui ita proprium esse existimant, ut in dubio precij mentionē designare emtionem velint Bart. in l. fin. C. de prad. decur. lib. 16. Tiraq. de retr. proxim. §. 1. gloss. 2. n. 2. Menoch. de retinend. poss. remed. 4. n. 9. & seq. b §. sed & certum, Inst. hic. l. fin. C. h. t. Pinell. ad d. Rubr. pa. 2. c. 1. n. 4. & seqq.*

10. Quid si arbitratus fuerit sed iniquum? Existimem reduci illud debere ad arbitrium boni viri.

*Id quod commune esse in alijs arbitratorum definitionibus noti iuris est l. 76. cum l. seq. ff. pro soc. Vide Menoch. de arb. iud. quest. lib. 2. ca. 73.*

11. Vbi verò ex vna parte res, ex altera res & precium datur, ad quem contractum negotium id pertineat, quæritur?

*Videndum primò existimo quid inter partes actum sit l. 3. si cert. pet. l. 34. de R. I. si id non appareat, tum in dubio ad permutacionem id pertinere arbitror l. 1. de estim. l. 2. 3. de pres. verb. Gomez. 2. res. 2. n. 10. Covar. 2. resol. 4. n. 9.*

12. Porrò res tam corporales quam incorporales in hunc contractum veniunt, modò in commercio sint. Nam quæ extra commercium sunt, earum, nisi ab ignorante fiat, nulla est Emtio.

*L. 34. §. 1. h. t. Unde inuitis quoq; debitoribus & ignorantibus actio vendi*



vendi potest l. Emptori nomine 6. l. 17. de her. vel act. vend. l. 3. C. eod. Gomez. 2. ref. 2. n. 6.

13. Imò & res futuras *a*, alienas *b*, rectè emi iuris rationi conuenit: neq; prohibitam censemus emtionem annuorum reddituum, puta quæ non sit vsuraria *c*.

*a* L. 8. h. t. l. 73. de V. O. l. 13. de pign. & hypoth. Tacita tamen conditio semper inest, si nimirum extiterint fructus. Et itaq; non existente conditione nulla quoq; est venditio d. l. 8. h. t. l. cum illud 25. quando dies leg. ced. Alciat in l. Cedere 213. in fin. de V. S. Gomez. d. l. n. 7. *b* l. 28. h. t. Ratione tamen euictionis & repetitionis tam precij, quàm eius quoq; quod interest differt sciens emptor ab ignorante l. 27. C. de euict. Couarru. 3. ref. 17. *c* Vide Gail. 2. obs. 7. Mindan. de process. lib. 2. c. 27. n. 4.

14. Feudi sine consensu Domini *a* Emphyteuseos irrequisito Domino *b* rerum Ecclesiasticarum sine iustis solennitatibus *c* vt & Minorum nisi modis à lege præscriptis venditionem non valere clari iuris est.

*a* c. vn. de prob. feud. alien. per Lothar. c. vn. eod. per Frideri. Sanè vt apud Dd. aliud est pactum, de vendendo, aliud vendere Hart. Hartman. pract. obs. 2. Surd. conf. 52. lib. 1. Ita si Vasallus inconsulto Domino pactum, de vendendo feudo fecerit, feudo non priuari volunt Schrad. de feud. p. 9. c. 1. n. 25. Borcholt. de feud. c. 8. n. 81. Eademq; ratione si traditio subsequuta non fuerit, feudum non committi volunt. *b* l. 3. C. de iure Emphy. Gædd. in l. 219. de V. S. *c* l. Iubemus ubi Dd. C. de sacr. Eccle. Requisita latè tractat Caualecan. 1. decis. 45.

15. Hic verò obijcitur nobis difficultas, vtrum emtione perfecta teneatur Venditor præcisè rem tradere, an verò liberetur præstando id quod interest? Nos præcisè ad id venditorem, si modò rei tradendæ facultatem habeat, obligari concludimus.

Quam Martini veteris interpretis opinionem sequitur Bart. in l. 9. n. 21. h. t. multiq; allegati à Mozzio c. 3. ad hunc titulum. Expressè eam statuit Paulus 1. sentent. 13. Ratio Iuris manifesta est. Res n. vendita est in obligatione, Igitur ad eam præcisè tenetur venditor. Interesse aliquando præstat non tam vi obligationis quàm equitate iudicij vel quia non tradidit rem ad quam tenebatur vel quia res tradita euicta est l. 1. l. 3. de act. emt. Et quid apertius l. 11. ubi cum quaereret Vlp. quid præstare oporteret venditorem. Rem ipsam inquit, in primis oportet. Vnde l. 68. h. t. l. 10. C. de act. emt. Me-

A 4

noch.



noch. 2. arbitrar. Iudic. questio. c. 381. num. 7. & seq. Fab. 6. coniectur. 17.  
16. Re igitur vendita, omne, quicquid cohæret ei, cum omnibus  
accessionibus, venditum censetur *a*. Vnde vendito castro Iuris-  
dictionem quoq; castro cohærentem venditam intelligi dubium  
non est *b*.

*a* Quod explicatur in l. 13. §. fin. cum l. seq. de act. emt. atq; ita fundo  
vendito ea, que perpetui usus causa ibi sunt, vendita intelliguntur l. 17. §. 7.  
cod. idemq; de pertinentiis dicendum arg. l. 2. & ibi Bart. C. de bon. va-  
cant. Menoch. 3. presunt. 99. n. 2. & 3. *b* Hodie mutata Reipub. forma  
cum territorio cohære Iurisdictionis existimetur: imò tam merum quam mix-  
tum Imperium; Roland. à Vall. cons. 42. n. 30. vol. 2. Ceterum iure civili  
Rom. Iurisdictionis non nisi iure Magistratus, Merum Imperium non nisi spe-  
cialiter vel lege vel Scto competebat, Quem igitur in generali oratione id ve-  
nire potest, quod specialem requirebat concessionem? Verum ea non sunt hu-  
ius loci.

17. An igitur etiam in emtorem hereditatis transit ius accre-  
scendi?

Longo ordine post Cuiac. 12. obs. 13. pragmaticos ut vocat Incess t hæc  
quoq; in re Fab. 50. decad. 5. Non tamen à communi dimoveor. Non minus  
Iuris, inquit Vlp. in l. 2. eo. tit. habere debet emtor hereditatis quam vendi-  
tor, imò omne lucrum. d. l. 2. §. 9. Quidni igitur ius etiam accrescendi? He-  
reditas, nomen est Iuris, quod & accessionem & decessionem recipit, l. 178.  
§. hereditas, de V. S. si igitur hereditas est vendita, utiq; etiam ius erit ven-  
ditum, & qua illi accedere vel decedere possunt, ut omnino vanum sit, eum hic  
respicere, qui iuris fictione rem habere intelligitur, l. 33. de Vsufr. Duar. 2. de  
iur. accres. 6.

18. Ita perfecta emtione etiam ante traditionem commodum &  
incommodum ad emtorem pertinet *a*. Aliud tamen est in emtio-  
ne in scriptis, sub conditione, alternatiue, pondere, numero, men-  
sura contracta *b*.

*a* L. 7. 8. 11. de per. & com. rei vend. l. 35. . pen. h. t. l. 31. de act. emt.  
l. 4. C. de per. & com. rei vend. *b* in his n. perfecta emtio non est, nisi post  
scripturam & conditionem impletam, non nisi post alternatiua electionem,  
non prius quam res numerentur, appendantur, mensurentur, l. 1. & passim  
ff. de per. & com. l. 5. l. pen. C. eod. Vide Mynsing. 6. obs. 36.

19. Mutuo Consensu contrahi Emtionem explicatum est. Quod  
si neq;



si neq; precium neq; res secuta, contraria voluntate eandem re-  
solui, absq; dubio est a: Vnius pœnitentia nunquam, nec princi-  
pis rescripto, ne quidem si arrhæ datæ fuerint b.

a L. 2. 3. de rescind. vend. b ut rectè statuit Wesenb. par. h. t. n. 9.  
Cum arrha enim vel signum sint vel firmamentum contractus, absurdum sit  
cum aliàs à contractu non nisi re integra utriusq; voluntate abire liceat, id  
ad rescissionem proficere, quod contrario fini adhibitum est l. 17. C. de fid. inst.  
& §. 1. pact. h. t. de Contractu Imperfecto loquuntur.

20. Quod si pacta Emptioni Venditioni adiecta fuerint, illa vt ser-  
uari oportet, ita tamen ob eorum inobservantiam à contractu re-  
cedi iuri non conuenit, sed in hoc potius agetur, vt placiti fides  
seruetur.

L. 79. h. t. l. 14. C. de resc. vend. Iason in l. fin. n. 15. de Condict. ca. dat.  
ca. non secut. Cephalus cons. 407. lib. 3. Surd. Cons. 38. lib. 1. Obijcitur l. 6.  
C. de pact. int. emt. & vend. Varias conciliationes more suo exactè confide-  
rat Pinell. ad Rubr. C. de rescind. vend. p. 2. c. 2. n. 14. cum seq. Veriorem  
dabit disputatio.

21. Sed rectè receditur à perfecta etiam venditione beneficio  
l. 2. C. de rescind. vend. quando videlicet venditor ultra dimidi-  
um iusti precij deceptus fuerit.

Non Tyrannicum esse, vt Molineus clamat, sed summa aequitate intro-  
ductum hoc beneficium argumento esse potest, quod natura ipsa huius contra-  
ctus sit, vt emptor vilius comparandi, venditor carius distrahendi animo vix  
post multas contentiones ad certum tandem consentiant precium l. 8. C. de resc.  
vend. l. 22. §. ult. cum l. seq. ff. locati. Cum verò ex re ipsa hac quasi deceptio  
venditione non infringeret, sed in infinitum ferè probaretur, optimi Imp. hanc  
lesionem non ferendam, certis hisce cancellis conclusere. At quare ultra di-  
midium iusti pretij rem hanc redigi, voluerunt? nonne aequius fuerat hac of-  
ficio iudicis relinqui? Ne videlicet & ob paucillulum commercia rescinde-  
rentur, neq; tamen ob nimiam lesionem tolerarentur. Quinimò expediat  
Reip. legem prima fronte iniquam, certam tamen prescribere, quam iudicum  
animis omnia permittere: Quod & Philosopho multis in locis placuit. Na-  
turaliter autem licere in l. 16. §. pen. de min. intelligo, non cum Accursio In-  
regentium, sed, vt rectius Hispani, ex natura contractus, Padill. ad d. l. n. 10.  
Rursum lesio illa non fraude debet fieri sed ex re ipsa oriri; Cum verò celebra-  
rissima sit, illius legis materia, Paucula pro re nata hic delibabo

A 51

22. Ob



22. Ob eandem igitur rationem ad Emtoem quoq; item locationem, permutationem, diuisionem id extendimus.

*Cuius rationes ab alijs huc transcribere nullius sit rei, sufficiat eandem esse iuris & legis rationem, id beneficium non persona sed causa tribui, nempe lesioni, cum venditori competat, non quia venditor est, sed quia laesus est: & itaq; uno verbo, Vbicunq; in bonafidei contractibus similes causa sunt, h. est, unus dat, accipit alter, Et ita lesio interuenire potest, decisio quoq; legis eadem sit necesse est. interim videatur Cagnol. Pin. Padill. Donell. ad hanc legem, Gomez. 2. res. Couarru. 2. res. 3. alijs. Dissentit in plerisq; Anton. Fab. in tota dec. 8. n. 22. de error. pragmat.*

23. Ad transactionem verò a & aduersus tertium possessorem b id porrigi negamus, vti etiam si iuramentum venditioni accesserit & renunciatio c.

*a Ratio manifesta est quod in materiala lesione, hac praesertim in lege, pro regula statuatur eam tempore contractus inspiciendam l. 17. C. de usur. l. si voluntate 8. C. de rescin. vend. Pinell. in repetitione huius legis p. 3. c. ult. n. 15. Mynsing. 4. obs. 37. n. 7. Atqui omnis transactio ut de re incerta est, ita quoq; quid postea euenerit in ea respici nequit. Vt omittam, fieri potuisse ut minus recte peteret, ut causa caderet. Neq; parum facit, quod reip. quoq; expediat, litium quendam finem esse, Vide l. 65. §. 1. de Cond. ind. Geil. 2. obs. 70. Pinell. p. 1. c. 4. n. 13. Padill. n. 23. ubi plures. b Ratio aperta est. Actio enim personalis non datur contra tertium, vide l. 1. & 3. C. si vend. pign. agatur, nisi tertius ille fraudis fuerit conscius. Pinell. p. 2. c. 1. n. 32. Padill. n. 39. c Qui enim iurat, hoc ipso renunciaisse intelligitur. Qui renunciat etiam generaliter, omnia ea cogitasse creditur, ex quibus venditio rescindi potest, cum generalis oratio omnes ei generi subiectas species complectatur arg. l. 7. de mil. testam. l. quicquid, de V. O.*

24. Hæc autem rescissio qua actione fiat cum antiqui variarint, nos neq; officium Iudicis, neq; restitutionem in integrum sed actionem ex emto vendito competere existimamus.

*Quam sententiam communem dicit Pinell. p. 2. c. 1. n. 26. & firmatur per l. 31. §. quia assidua, de edil. edict. l. 6. in fin. l. 12. §. 1. de iur. dot. ut proinde illorum opinio etiam falsa, qui quadriennium huic beneficio praefiniunt. Habet autem Emtoer electionem ut vel rem restituat pretio recepto vel suppleat quod deest vero seu iusto pretio: Inter quæ duo nullam agnosco differentiam. Cum Imp. quod iustum & verum dixerant, in d. l. 2. mox iustum simpliciter*



*pliciter appellant in l. 2. & alibi vera pretij estimatio verum & iustum pre-  
tium est l. 15. in fin. de ind. l. 31. §. si vir uxori, de don. int. vi. & ux. l. 12.  
de pign. l. 12. de iur. dot. l. ult. C. de litigios. & alijs quas adducit Forner  
2. select. 19. An fructus restituere debeat cum re Emtor? Mediam senten-  
tiam sequemur ut neq<sub>3</sub> omnes fructus retinere possit, ut voluit Capoll. Afflictus,  
Cagnol. neq<sub>3</sub> omnes cogatur restituere, ut post Bald. statuere Albert. Salicet.  
Sed fructus cum usuris pretij, quod venditor accepit, compenset, Atq<sub>3</sub> ita pro  
rata iusti pretij partem quoq<sub>3</sub> fructuum habeat. l. 2. C. de usur. Illud ultimè  
addo immodicam lesionem esse, si rem centum aureis dignam, minoris quin-  
quaginta vendidero: In Emtore, si pro re digna aureis X. plus quàm 20. pra-  
stitit ut Alber. Connan. Foreat. Duar. Donell. aliq<sub>3</sub> existimarunt.*

25. Licet verò varia pacta huic contractui apponi possint, tria  
tamen maximè solemnia sunt: Primum Addictio in diem, vel purè,  
vt, meliori allata conditione, ab Emtione recedatur, vel sub Con-  
ditione, vt perficiatur emtio, nisi melior offeratur Conditio.

*De qua tot. tit. ff. de in diem addict. Si pura, Emtor & usuras capit &  
accessiones lucratur & periculum sustinet l. 2. 4. h. t. Si sub conditione, ven-  
ditor dominus manet & itaq<sub>3</sub> contraria tunc locum habent, quanquam inter-  
dictum quod vi aut clam eum habere contra Robert. cum Cuiac. 2. obs. 25. ve-  
rius arbitror.*

26. Secundo pacto Commissorio cauetur, vt, nisi intra cettum  
diem pretium sit numeratum, res inempta fiat.

*L. 4. & tot. tit. hic. ita vt lege hac commissi venditoris sit eligere vtrum  
exercere hanc legem an pretium petere velit? d. l. 4. §. eleganter.*

27. Deniq<sub>3</sub> solet adijci pactum de retrouendendo, vt, quando-  
cunq<sub>3</sub> vel intra certa tempora, oblato precio, res restituatur *a*.  
Cumq<sub>3</sub> personale tantum id pactum sit, remq<sub>3</sub> ipsam afficere ne-  
queat, aduersus tertium possessorem non competet *b*: multò mi-  
nus rei vindicatio: sed actio tantum personalis, quæ ex hoc con-  
tractu oritur *c*.

*a* Licitum esse illud pactum confirmat Tiraq. de retr. Ligna. in prefat.  
n. 5. Myns. 6. obs. 20. Conaru. 3. ref. 3. & 9. *b* Ratio est, quod actio perso-  
nalis non egrediatur personam, vid. l. 4. de l. commiss. l. 7. §. 5. de pact. Geil.  
2. obs. 16. n. 13. Cuiac. 8. ad Afric. in l. 24. de prescr. verb. *c* illud enim  
pactum contractui adiectum non reformat naturam contractus sed illius poti-  
us assumit, cum pars illius esse censeatur d. l. 7. §. 5. de pact. Myns. 6. obs. 69. Go-  
mez. 2. ref. 2. n. 29. Hart. Pist. 1. quaest. 21. n. 7.

28. Quæ



28. Quæ tamen actio ut in heredes transit *a*, ita quoque extraneo cedi potest *b*: eiq; triginta annis non præscribi communiter statutum est.

*a* De accessorio enim idem quod de principali iudicandum Geil. 2. obs. 2. n. 4. & 5. *b* Tiraq. 1. de retr. Lign. §. 26. gl. 3. n. 1. aliq; à Treutlero allegati.

Quod si tamē in reuendendo, cuius temporis æstimatio ineunda sit, queratur: Tempus retractus inspiciendum putauerim arg. l. cum quasi §. si plures & l. seq. §. si autem. ff. de fidecom. lib. l. 49. §. meminisse de leg. 1. Quinimò in omni æstimatone rei debita, tempus solutionis inspiciendum l. cum certum ff. de aur. & arg. leg. l. in leg. Falcidia §. Corpora ff. ad l. Falcid. Atq; ita sentit Cagnol. in d. l. 2. C. de pact. int. em. & vend. n. 93. Thesaur. decis. 140.

29. Deniq; ut concludamus, ex hoc contractu nascuntur actiones tam emti quàm venditi: Ex emto agit Emtor eiusq; heres, aduersus Venditorem eiusq; heredem, ad rem tradendam *a*: Ex vendito actio competit aduersus Emtorem ad consequendum premium *b*.

*a* L. 11. & tot. tit. de act. emt. Rem verò intellige possessionem eius vacuum cum fructibus & accessionibus à tempore contractus perceptis l. 2. §. 1. de act. emt. l. 13. eod. l. pen. C. eod. *b* Simul & usuras, post diem traditionis & moram l. 3. §. 18. d. 1.

## COROLLARIA.

I. Restitutionem in integrum concedi Ecclesiæ aduersus sententiam etiam principis vel Cameræ, ad exemplum Minorum, expeditum est.

II. Quod & ad Metropolitanam Ecclesiam extendi, eadem, quæ subest, ratio, & ius idem suadet.

III. Neq; in dubio Iudex petitam & deductam restitutionem ex officio saltem reijcere potest.

IV. Dominus Feudi, si facultatem tradendi habeat, ad traditionem feudi promissi præcisè tenetur.

V. Reconuentionem in causa non feudali coram Domino vel Patribus non admitti, verius est. Myns. 4. obs. 90.

## P O L I T I C V M.

Nostri Imperij status an mixtus sit, vel Aristocraticus, vel Monarchicus, quæritur: quid defendi possit, videbimus.

## F I N I S.



ULB Halle  
003 913 791

3



56,


1017











D. O. M. A. 1608, 1

De M.

28

# EMTIONE VEN- DITIONE

DISPUTATIO,

*Quam Preside*

Magnifico, Clarissimo & Con-  
sultissimo Viro,

DN. THEODORO ADA-  
MIO, Academiae Iuliae pro tempore ViceRe-  
ctore, Pandectarum ordinario Professore & supremi  
curialis iudicij quod est V Volfenbutti  
Assessore,

*Publicè discutiendam proponit*

CHILIANVS STISSERVS  
Iunior Hallensis - Saxo.

*Ad diem 22 Martij in auditorio  
maiori.*



HELMÆSTADII,  
Ex Typographico IACOBI LVCII.  
Anno M. DC. VIII.

17.